378



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, vigesimâ-quartâ Martii, 1729.

M. URBANO LEAULTÉ,
Doctore Medico, Præside.

An SAGOU *Phthisicis prodest?*

I.



UANTUM à morbo distat sanitas, curatrici tantùm præstat Medicina conservatrix. A conjecturalis scientiæ opprobrio, Medicinam planè vindicat diætæ necessitas. Variis in temperamentis, variis in ætatibus, vario in sexu, variâ in conditione, varius est rerum non naturalium usus. Non est in sanitate ac in convalescentiâ idem: in hâc alius, alius in morbo est; quin & quot morborum, tot peculiaria diætæ

genera. Suos habent morbos magnates,& plebeji,otiosi & opifices; habent & suos temperamenta, sexus & ætates. Ita juvenilis ætas, in sequiori præsertim sexu Phthisi maximè obnoxia fit. A Parentibus hâc labe contaminatis, ad natos quandoque producitur; infausta hæreditas! Matrem simul & infantem sæpè trucidat, eodemque mandat tumulo. Quos officiosa Phthisicis addicit sedulitas, sæpe-numerò contagiosa lacessit; uxorem & maritum eodem telo plerumque conficit horrida. Morbo alio ægrotantis per venas sæpè perfida serpit. Corporis partes vel omnes consumit: vel stragis quam edit theatrum, pulmones constituit. Acuta fit cum brevi armata ferit ac celeriter necat; chronicavè, cum omnes corporis partes sensim delet ac depascit. Hieme sævit & Æstate, Vere & Autumno; pulmonaris tamen Vere, ut plurimùm exitialis est; universalis verò tabes Autumno exasperatur. Inter Phthisios primordia, magis præsentit Medicus quàm pronuntiat. Facies pallida, gengivæ albæ, cutis mollis & squalida, cibi fastidium, universos per artus spontanea lassitudo, tetrum inter odorem scissa vox, Phthisios sunt prodromi. Morbum hunc simplicem ne crede; gradus ille habet inter se dissitos. Febrili cum calore, serotinis præsertim horis, sensim obrepit, titillationis cum sensu in thorace, atque siccâ cum tussiculâ, quæ nihil emolitur. Post modum, tussis ad auroram exacerbatur; statim sincera, subamaraque sputa prodeunt: mox tenuia & salsa; excreanturque lapilli. In Phthisi incipiente, comes frequens dolor in latere: vix spiritum ducendi fit libertas; pulsus hinc tensus & exilis. Nonnullos commovent molestæ sternutationes. In quibusdam molestant hæmorrhagiæ, atque stomachi morsus. Febris fit erratica: cum lienis dolore; accedunt urinæ furfurosæ, ac rubræ. Sitis guttur angit. Importuna tussis ægrotantem affligit. Eliditur quoque in faucibus spiritus. Sæpiùs dulcia, alba, spumantiaque fiunt sputa. Ore polluto assumuntur dapes; sequuntur anhelitus & febris hectica, interdùmque assumptorum vomitus: cum tussi, per quam mucosa ac lubrica tunc faciliùs ejiciuntur sputa, sanguinis striis sæpè commixta. Quandoque tussis in instanti, quiescit pulsus, statim verò increscit. Somni initio perturbantur Phthisici, præcipites ab alto fremebundi quasi desilirent ac immergerentur: somni autem sub exitum, capitis & colli sudatiunculæ infestant, atque arida pedum molestat siccitas. Per noctem penitùs dejicitur spes: manè

verò mirè resurgit. Insuperabile stat fastidium: vel avidè appetuntur cibi; at vires hic non reficiunt, imò corporis infractionem, febrilemque calorem augent. Hæc cum fœdâ intestinorum lævitate, vulgò conjuncta advertis. Lurida est facies: scapulæ sunt alatæ: per omnes inspirationes narium pinnæ contrahuntur. Oppressio fit pectoris ponderosa, ante & retrò, periodicè pungens. Desperatam tunc esse rem intelligito. Eò acerbiora autem omnia symptomata, si sit thoracis collapsi angustatio atque gibbositas. Plurimus per respirationem fit strepitus; pectorisque cavum ex tussi resonat. Jam respirationis modum sequuntur pulsûs ῥύθμοι: pulsus autem quandoque fit serratilis.Intereà, corporei habitûs, universalis fit consumptio, dum concavantur tempora: rigidæ invertuntur auriculæ: umbroso rotantur in antro oculi: consuuntur buccæ: protuberantes in quibusdam rubescunt malæ: depressa sunt labia, ac dentibus affixa: os patulum est, aphthisque spurcis stipatum; atque exardescunt fauces. Jam capilli defluunt: incurvantur ungues pallidi: fitque totum strigosum corpus. Vides? quæ calamitas! posteà, superficie lævi, inæqualia sputa cœnosa, cinerea, purulenta, luthea, viridia, sub-cærulea, ferruginea, sub-nigra-vè prodeunt. Ipsa si in aquã injeceris, huic quasi immisceri, statimque fundum vasis petere, videbis. Si verò prunis superfundas, nares fœtore gravi illos ferire senties. Ipsis verò immixtus violarum syrupus, virescit. Tandem in unum latus per decubitum, dolor tendens molestat, acerbiorque fit tussis, quam in alterum. Nulla acquiritur quies: omnia in pejus ruunt. Mira tamen est cogitandi & loquendi libertas, atque flagrans salutis desiderium ac spes! nequâquam. Si sputa prodire desinant: si nubecula oleosa urinis innatet, cum sudoribus nocturnis, atque colliquativo alvi profluvio; præcipuè si pedes, si manus intumescant, placida brevi sequitur mors, quæ cita & certa etiam ab initio morbi, si huic accedant variolæ. Nec priùs victimam mactat crudelis, quàm nutritium succum totum sugerit, infecerit-ve Phthisis. Hujus-ce luis curatio tentanda-ne est venæ sectione? nonnisi in hæmoptysi, aut in febribus quas vulgò excipit Phthisis, instituenda. Tunc extractus sanguis, valdè calidus, tenuis, rutilus ac dissolutus est. Pharmacis-ne? apage. Monstrum demulcere tutius, quàm aperto marte adoriri, est. Feret omne punctum victûs ratio. Sit medicamentum in alimento copioso, blando, humectante, atque detergente.

II.

PHTHISIS eò magis extimeſcenda; quò plura nos huic obnoxios faciunt. Ab aëre ipſo, vitæ aliàs incentivo, ſi marinus eſt, paluſtris, aut carbonum fumo oppletus, accerſetur Phthiſis. A naturali vel pulmonum infirmâ conſtitutione, ortum ducit; dum ſenſim contabeſcunt vitio nutritiæ lymphæ; ubi hæc minùs fluida, magis terreſtris, & nimis glutinoſa, in tenerâ pulmonum compage lenteſcit, ipſiuſque moles aggeritur: hinc ſequuntur obſtructiones, calor augetur, lapillorumque concretio fit. Pari feré ratione, ubi ſanguis cœnoſus, ac iners, pulmones opprimit; ubi motu inordinato per ſua vaſa fertur ille, ſimul-ve in lymphatica intruditur, concipiuntur tubercula, vel ſuppuratura, & tunc pulmonis vomica fit, ut plurimùmque accreſcit pleuræ, pulmonum alteruter: vel non ſuppuratura, ſed ſenſim increſcentia, ſpiritûs vias præcludunt, tandemque ægrotantem perimunt. Præter hæc, ſi in pulmones pituoſa effluat colluvies, hujus ſalſedo illos irritat, atque convulſionis motu ipſi agitantur; hinc ſuâ ab indole, nutritia deſciſcit lympha; hinc quaſi muriatica fit; hinc διάϐρωσιν parit: ſuccedunt ulcuſcula: ſequitur febricula quâ corpus univerſum liqueſcit. Humida hæc illuvies, ſi per medullam oblongatam, ſpinalemque defluit, ſcapularum inde & lumborum fit dolor; interioreſque capitis partes vacuæ videntur ipſi eſſe: depravantur ſimul ſucci nervorum, hi non nutriuntur; ſequitur tabes dorſalis. Ubi ſupra coxendicem illa tantùm effunditur, poſt diuturnum dolorem, crus tabeſcit. Renalis autem producitur tabes, cum ſuppuratus, ſpinamque circa intumeſcens fuerit Ren. Præter hæc, ubi anteceſſerunt malè ſanatæ pleuritides, peripneumoniæ, variolæ, aut morbilli, ſæpè accedit Phthiſis; quatenùs his incenſus ſanguis, aliquâ ex ſui parte, in ichorem purulentum convertitur, partes quibus hic inſidet, adurit & vicinas ſerpendo depaſcit; venitque in periculum lien, ſi unà impugnet æſtas: hinc febris fit hectica. In quibuſdam per fœda ulcera, altor ſubtrahitur ſuccus, tabo polluitur ſanguis; hinc putrida fit febris. In aliis, per gonorrhœam, per fluorem album, nutritia evaneſcit lympha; hinc corporis contabeſcit habitus. Ubi per inediam maxima fit ſuccorum deperditio: ubi per hæmorrhagias majora inanita vaſa corporis liquores avidè ſorbent, alibiles deprædantur ſucci; hinc

corporis ambitum alluere deſinunt; hinc propriæ ſubſtantiæ conſumptio ſenſim ſuccedit. Vel in ſtrumoſum mezenterium chyli præcluditur aditus; hinc ſanguis & humores nutrimento ſuo fraudantur, effœti fiunt. Quin-etiam Phthiſim ſæpè creat nimia ſanguinis copia. Quæris, quid poſſit ad tabem πληθώρα? audi. Ipsâ fiunt ῥήξεις, has ſequuntur ulcera. Vel ſanguineorum vaſorum ruptio cùm non fit, omnis corrumpitur ſecretionum ordo, dum liquores copioſi nimis ad oſtia vaſorum ſecernentium confertim affluentes, ſanguinea extendunt vaſa, horumque comprimunt latera: ſicque vaſorum lymphaticorum aditum ſibi ipſis intercludunt; hinc obliteratur nutritionis opus, tabeſcitque corpus. Ubi in liene diffuſus eſt ſanguis, ille floret, corpuſque tabeſcit. Quid plura? quæ ſolitas evacuationes ſupprimunt; quæ fluxiones commovent; quæ corporis ſuccos diſpergunt, abſumunt, corrumpunt-ve; uno verbo omnium morborum cauſæ Phthiſim inducere valent. Sic indicantur quæ ſint nocitura, quæ profutura ſint, quibuſque auxiliis vincere natura poſſit. Nil moreris; veneni effectus noſcis: remedium accipe.

III.

PHTHISICAM labem, ſœpiùs quàm Galli, experiuntur Angli. Diligentiùs inde remedia quæ ipſos à Phthiſi incolumes præſtarent, inveſtigarunt. Jam ab hinc ferè ſæculo, per orientales oras navigantes, in præſentiſſimum in tabe ſolatium inciderunt, hodie verò Londini per vicos & plateas venditur: Pariſiis autem omnibus penè ignotum eſt. Ex arboris trunco depromitur. * Arbor hæc palmam repræſentat, paſsìm in Indiis orientalibus reperitur, caudice ſurgit quadraginta & ultra pedes altâ. E terrâ primò erumpens, ſub dio ſine caudice conus eſt. Prima coni tegmina foliacea ſunt. Ab horum ſinu ſubindè emergunt folia pinnata, ſpiculiſque armata. Inter hæc ecce novus exurgit conus fructifer. reflexos hic ſenſìm exhibet ramuſculos fructibus ornatos. Fructus rubeſcens prunum adæquat. ramuſculi fructiferi, cum foliis ac foliaceis coni tegminibus, decidui, extuberantia ſui ſtigmata relinquunt; ſic quotannis prominentem exhibent annulum: ſicque aſſurgit caudex. Ut plurimùm ſeſqui-pedalis eſt, hujus diametralis craſſities. Centum & ultra extuberantibus annulis diſtinctis circumdatur. Cortice ſquamoſo extùs cinereo, intùs purpureo veſtitur. Lignum albicans, medulla autem

fuſco-albicans & farinacea eſt. Hanc Indigenæ ſtrenuè contundunt, deinde aquâ maceratam, per pannum tranſcolant; poſteà ſubſidere permittunt, claramque effundunt aquam. In ipſorum nutrimentum cedunt remanentes fæculæ; ex his placentas effingunt, atque in panem excoquunt: illas-vè exſiccant fæces, & in grana committere ſciunt; hoc apud Indigenas SAGOU nomen audit. Κρίμνου ſpecies flavo-ſubcœrulea eſt. Huic ſapor ſuavis & aquoſus eſt. Evidenrem nullum ſpirat odorem, ne quidem ignibus inſperſum. Hujus unciæ duæ in aquæ limpidæ unciis ſex præmaceratæ, primùm igne luculento, additis per gradus, lactis vaccini decem unciis, tum molliori igne excoquitur in pultem facilè ſorbilem & ſuaviſſimam, cum aliquo mellis vel ſacchari temperamento, præcipuè ſi aquâ ſimplici abſque lacte paratur. Facilis digeſtionis cibus eſt, æqualis, maximè analepticus & humectans. Mediante ipſo ſpecialiter fluxiones ſummè ſiſtuntur, ulcera detergentur, cicatrixque promovetur.

* *Vide Hort. Malab. Tom. 3.*

I V.

NIHIL intentatum reliquit gula hominis fame preſſi, vel induſtrio luxu abrepti. Ex univerſis quæ terra profert, alimenta ſibi parat animantium cupidiſſimus. ex plantis, ex animalibus, quin & ex foſſilibus condiuntur dapes. Illa inter humano generi alendo congrua, primas facilè tenent fruges; & quò longiùs ab ipſis cœtera recedunt, eò longiùs à legitimo nutritionis ſcopo deflectunt. Hinc foſſilia ad id minùs appoſita: animalia magis. Inter hæc deteriora carnivora; meliora quæ plantis paſcuntur. Atque ex his eligendæ partes quæ ex plantis minùs immutatis conſtant, ut eſt lac. Communis animalium cibus, fruges. Ex ipſis ſimpliciſſimæ, ſaluberrimæ, ac ſuaviſſimæ depromuntur dapes. Alimentum ſimul & medicamentum exhibent; ut alimenta, fruges omibus naturis ſunt utiles; ut medicamenta, intemperatis cujuſmodi ſint, ſua cuique in frugibus ſtat oppoſita & ſalutaris materia. Medium tenent plantæ foſſilia inter animalia. Foſſilium nativam principiorum ſimplicitatem plurimùm imitantur fruges, ſed fixæ minùs; ipſæ autem tubulis jam inſtructæ, animalium quaſi rudimenta ſunt: at verò ſuis in principiis minùs diſſidentes illæ, corruptioni non æquè obnoxiæ fiunt. Animalium principia, motu & calore nativo plurimùm

exaltantur; hinc summa carnium ad corruptelam proclivitas; hinc lienteriæ, dejectiones fœtidissimæ; hinc colliquescunt humores; hinc ulcerum sordities augetur; hinc febriles concitantur æstus; hinc totum liquescit corpus. Pisces porrigis? dulcis reverà & facilè superabilis esca: at citò in putredinem labuntur, & ipsis effœta fiunt recrementa. Alimenta autem ex plantarum familiâ deprompta, molli ac benigno calore corpus fovent; acria quævis demulcent; secretiones omnes suscitant; malè cohærentis sanguinis fibras nutriunt, ac refocillant; atque febriles comprimunt æstus. Illa inter cæteris multùm præstant farinacea; omnium sæculorum usu comprobatus est cibus ex ipsis depromptus; tenuem in cremorem facilè solvuntur, & in corpore superantur: chylum blandum cum sanguine non æstuantem præbent: nutritium succum copiosum & humectantem conficiunt: sanguinis & lymphæ acores demulcent: ulcera detergent, viresque reficiunt.

V.

TOTO orbe, omni ævo, eximias farinaceorum virtutes arte perficere studuit homo novitatis cupidus. Sic valdè tritum in omnibus penè morbis, apud Græcos ex χόνδρω & τράγω alimentum. Apud Romanos primò celeberrimum fuit Far; deinde Alica ex Zeâ factitia; postremò Far, priori diversum. Hodie verò Itali suum laudant Vermichelli. Semolam, Pedemontani & Sabaudi. Grutum, Armorici ac Delphici. Avenaceam Atheram Neustriaci, quæ *Habernmuos* Germanorum. Ubique variæ venditantur polentæ. Ubique laudantur oryza, & hordeum glumis exemptum. At verò his omnibus palmam præripit SAGOU nostrum, æqualis cibus, suavis, facilè superabilis; levior, concoctuque facilior, quàm oryza: hæc ardenti sæpiùs hæret ventriculo, ipsum gravat; alvumque exsiccat. Hordeata ventriculum & intestina, flatuum copiâ dilacerant; detergent quidem, sed quas sublevant partes, simul deterunt. Ventriculo & intestinis plurimùm è contra prodest SAGOU; illa blandè fovendo, humectando, & ab humorum saburrâ tuendo. Numquid chocolatæ usus magis refocillat? obstat crassius oleum quo depsitur Cacao. diu sustentat; sed in vasis diutiùs moratur; corporis liquores commovet, atque cardialgiæ nonnunquam fomes evadit. Celeriter nutrit, celeriter egeritur SAGOU. Nec æquè frigerans est, ac

ſunt avenacea: corporis humiditates nimis alliciunt; hinc inteſtinorum ſequitur lævitas; hinc liquor gaſtricus, pancreaticuſque merè aquoſus ac vappidus fit; atque ulcerum cicatrix moratur. Vitæ principiis noſtræ, magis analogum SAGOU, ignem animalem, vitæ flammulam non extinguit: hecticum calorem obtundendo, nativi vices obit. Procul abſint frumentacea; ab his ſanguinis motus intenditur; atque lymphæ nutritiæ humectantis parùm conficitur. Uno verbo, cærealia omnia, quoquomodò parata, perſpirabilia bruta concitare ſolent. Amygdalata corruptioni minimè obnoxia ſunt, humorumque calorem hecticum obtundunt; at craſſiora & maximè frigida, per corporis canales laboriosè diſtribuuntur: exaltata ſanguinis principia comprimendo, diſſociant, hæc per ſe exiſtunt & gravant. Cærealia inter & amygdalacea, medium tenet SAGOU; gummoſum, acores oblinit ac demulcet: atque ſpeciatìm fluxiones ſiſtit; hinc tuſſiculoſis, ſputatoribus, catarrhoſis proficuum. Opportuniſſimum alimentum, præſtantiſſimum Medicamentum. Optimum alterantium, ut ſit medicamentum in alimento; & alimentum in medicamento. Utrumque eximium præſtabit SAGOU.

Ergo SAGOU *Phthiſicis prodeſt.*

Proponebat Pariſiis PAULUS-JACOBUS MALOUIN, Cadomæus, Baccalaureus Medicus, A.R. S.H. 1729. à ſextâ ad meridiem.

Typis Viduæ J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typog. 1729.